



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Vincentii Brvni, Societatis Iesv, Meditationes, De
Præcipvis Mysteriis Vitæ & Passionis D. N. Iesv Christi**

Cum Veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsque Documentis ex
quoque Euangelio depromptis, Nunc ex Italico in Latinum translata

Meditationes in Passionem Et Resvrrrectionem D. N. Iesv Christi

Bruno, Vincenzo

Coloniae Agr., 1599

VD16 ZV 2606

Meditatio 54. De gloriosa resurrectione Christi D. N.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59870](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59870)

MEDITATIO
 QVINQVAGESIMA-
 QVARTA.

DE GLORIOSA RESVRRE-
 ctione Christi Domini
 nostri.

EVANGELIVM.

Marc. 16.

Luc. 24.

Ioan. 20.

Matth. 28.



T^o cum transisset sab-
 bathum, Maria Mag-
 dalene, & Maria Ia-
 cobi, & Salome eme-
 runt aromata, vt ve-
 nientes vngerent Iesum : Et valde
 manè vna Sabbathorù, cum adhuc
 tenebræ essent, venerunt ad monu-
 mentum, portantes, quæ parauerant
 aromata. Et ecce terræ motus factus
 est magnus. Angelus enim Domi-
 ni descēdit de coelo, & accedens re-
 uoluit lapidē, & sedebat super eum;
 Erat autem aspectus eius sicut ful-
 gur,

gur, & vestimenta eius sicut nix. Pre-
 timore autem eius exterriti sunt cu-
 stodes, & facti sunt velut mortui. Et
 dicebant ad inuicem: Quis reuoluet
 nobis lapidem ab ostio monumenti?
 Et respicientes viderunt lapidem
 reuolutum à monumēto (erat quip-
 pe magnus valdè) & introeuntes in
 monumentum, viderunt iuuenem
 sedentem à dextris in stola candida,
 & obstupuerunt. Respondens au-
 tem Angelus dixit mulieribus: No-
 lite expauescere vos: Scio enim
 quod Iesum Nazarenum, qui cruci-
 fixus est, quæritis. Non est hic: surre-
 xit, sicut dixit. Venite & videte lo-
 cum, vbi positus erat Dominus.

FIGURAE.

POST QVAM fuisset Ionas in Ioan. 2.
 ventre piscis tribus diebus & tri-
 bus noctibus proiectus est in aridam.

Dormiuit Samson in ciuitate Ga- Iud. 16.
 2a, & ab inimicis circumdatus, inde
 consurgens apprehendit ambas portas,
 & exiit.

Psal. 3.

EGO dormini, & soporatus sum, & exsurrexi, quia Dominus suscepit me.

Psal. 15.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem, notas mihi fecisti vias vitæ.

Psal. 29.

Conuertisti planctum meum in gaudium, concidisti saccum meum, & circumdediti me letitia.

Psal. 56.

Exurge gloria mea, exurge psalterium, exurgam diluculo.

Psal. 70.

Quantas ostendisti mihi tribulationes, multas & malas, & conuersus viuificasti me, & de abyssis terra iterum reduxisti me.

Osea 6.

Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos.

Mich. 7.

Ne lateris inimica mea super me, quia tecum consurgam cum sedero in tenebris.

CONSIDERATIONES.

I. Punctum.

ADERAT iam tertius dies, à quo mortuum Saluatoris corpus iacebat sub frigido isto lapide, omnino lacerum, & deforme, cum sudario in facie, ligatum & constrictum in vili isto linteo. At æterna scientia cum superasset dæmonem, mortis iuentorem, velletque etiam ipsam mortem destruere, & electis

DE PASSIONE DOM. 429

& electis vitam æternam aperire, venit
 victrix illa anima ex vna parte stipata ve-
 nerabili illo sanctorum Patrum choro,
 ex alia parte innumerabilibus angelo-
 rum turbis, rursusque vnita potentia
 diuinitatis suæ cum sacro isto corpore,
 magno triumpho & gloria à morte re-
 surrexit ad vitam.

Conuenienter admodum voluit re-
 demtor noster matutino tempore ex se-
 pulchro resurgere, in quod vespertino
 tempore magno cum fletu inclusus e-
 rat, vt ad impleretur quod per Prophe-
 tam dictum erat. Ad vesperum demo- *Psal. 29.*
 rabitur fletus, & ad matutinum lætitia,
 voluit etiam resuscitari matutino tem-
 pore, vt demonstraret, quod esset verus
 iustitiæ sol, qui imposito sine potestati-
 bus tenebrarum, & superata infestissi-
 ma passionis nocte, magno cum splen-
 dore & claritate oriretur ad illuminan-
 dum hos, qui in tenebris & vmbra mor-
 tis sedebant. Denique voluit matuti- *Luc. 1.*
 no tempore maturè admodum resurge-
 re, propter charitatem nimiam, quæ
 non permittebat vt cara mater, & di-
 lecti discipuli diutius propter mortem
 suam affligerentur. Hinc, cum debuisset
 secundum Scripturam tribus diebus ma-
 nere in visceribus terræ: ita abbreviauit

hoc tempus, vt & satisfaceret veritati scripturę, & nõ deesset desiderio eorum, qui illum amabant. O benigne Iesu õ dulcis amator hominum, quanto tu es paratior ad amicos tuos consolandos, quam ad castigandum inimicos: nam vt punires ingratiã istam ciuitatem, & horrendum istud peccatum Iudeorum, qui te crucifixerunt, 40. annos expectasti; verum vt consolareris illos, qui pro amore tuo erant in afflictione, vix potuisti expectare 40. horas.

Cogita quomodo cum benedicta illa anima sacrum illud corpus ingrederetur, quã primũ communicauerit illi gloriosas suas dotes, reddidit corpus ipsum multo clarius, multoque splendidius ipso sole. Hinc hoc ipsum corpus, quod paulò ante erat deforme, & omnino obscurum, omniũ postea corporum superauit pulchritudinem. Tenebrę illius vertebantur in lucem clarissimam, plagarum deformitas in incomparabilem speciem pulchritudinis. Voluit nihilominus in testimonium redemptionis nostrę, & ad permouenda diuina erga nos viscera misericordię, retinere sacras illas manuũ, pedum, & lateris plagas, quę sunt splendidissimarum gemmarum & limpidissimorum
fontium

DE RESURRECTIONE. 427

fontium suo aspectu exhilarant totam
 Dei civitatem. O quanto gaudio sacra
 ista vulnera repleuerunt turbatorum dis-
 cipulorum corda; propter certitudinem
 resurrectionis Magistri sui quam osten-
 debant: & quantam usque modo con-
 solationem dulcedinemque, omnibus
 Christi amatoribus subministrant! Bea-
 ti oculi, qui digni fuerunt vulnera illa
 intueri, & felicia illa labra, quibus fuit
 concessum ut ex illis suggerent dulcissi-
 mum illud mel, quod ex diuina illa pe-
 tra scaturit.

Contemplare anima mea gloriam
 sanctissimi corporis tui Redemptoris, vi-
 de quomodo pulcherrimus ille flos ra-
 dicis Iesse, qui in Incarnatione floruit,
 in passione expalluit, in morte decidit,
 & propemodum exaruit, iam in resur-
 rectione denuo incipit florere, recipien-
 do pristinam pulchritudinem, & to-
 tum mundum suauitate odoris replet,
 imò maiore pulchritudine & splendore
 vestitur: nam si corpora electorum in
 resurrectione, secundum conformitatem
 claritatis corporis Saluatoris, fulgebunt *Matth. 17.*
 in regno Patris sicut Sol, quanta, cogi-
 temus, gloria & claritate fulgebit hic Sol
 iustitiæ, candor ille æternæ lucis. Chri-
 stus Iesus? O verè beata nox quæ post-

Psal. 138.

quam illustrata fuisti ab authore lucis, superas claritate omnes serenos clarosque dies! Hæc est nox, de qua scriptum est per Prophetam: *Nox sicut dies illuminabitur.* In hac nocte lætatur terra, quia produxit fructum ita sublimem: lætantur cæli, quia ornantur nouo & clariore sole: lætantur Angeli, quia iustificantur peccatores: denique lætantur creaturæ omnes, quia sicut in morte Creatoris omnes dederunt doloris signum & tristitiæ, & cum ipso in defectionem uenerunt: ita in resurrectione gloriosa, omnes simul cum ipso resuscitantur. Vnde merito hodierna die Ecclesia cum exultatione cantat: *Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* Et Angeli in cælo cum iubilo resonant: *Alleluia, Alleluia, Alleluia.*

Psal. 117.

Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Et Angeli in cælo cum iubilo resonant: *Alleluia, Alleluia, Alleluia.*

Gen. 41.

Vide iam, magnum illum Patriarcham Iosephum, quomodo exeat è tenebroso illo carcere, in quem propter innocentiam & bonitatem erat coniectus, & mortalitatis capillis detonsis, uestitur vestibibus immortalitatis, Dominusque totius Ægypti constituatur.

Vide sanctum illum Regem David, qui superbo illo Philistæo superato cum triumpho regreditur, & gloria, ex sanguineo illo campo, circumdatus sanctis animis,

animis, cū gaudio cātantibus, Saul percussit mille, & Dauid noster decē millia. *1. Reg. 17.*

Vide Leonem fortissimum de tribu Inda, qui postquam requieuisset in ca-uerna, neque ausus quisquam esset resuscitare illum, seipsum suscitatur, foras egreditur, totusque terribilis, prosternit glorioso suo clamore infernum, & tremore concutit terram. *Gen. 49.*

Denique anima mea vide tuum spōsum, qui ab umbra, sub qua in meridie requieuerat, rediens te vocat, & dulcibus verbis inuitat: Surge, propera amica mea, columba mea, & veni, iam hyems antiquæ præuaricationis transijt, imber persecutionis & tribulationis recessit: flores cælestium gratiarum apparuerunt in terra nostra, vox turturis, cantus videlicet & laudes animarum iustificatarum, audita est in terra nostra, vineæ similiter electorum meorum floruerūt, produxeruntque flores bonarum sanctorumque operationum, reddentes omnibus gratum & suauissimum odorem virtutum.

SECUNDA PARS.

QUOMODO DOMINVS

Matri apparuerit.

VERVM quid facis, dulcis Iesu, vt *1. Punctū.*

T 5 tanti

tanti gaudij consolationisq; participem non reddas afflictam & desolatam Matrem, cum id ratio postulet, vt quæ tibi fidelis fuit in passione socia, sit & tibi in consolatione socia; & si ex nimio cordis dolore & compassione tui, in ipsa tua cruce, tecum est affixa & mortua, æquū sanè est, vt etiam tecum resurgat & lætetur. Et cum sit præceptum tuum, de quo in scriptura: *Honora Patrem tuum.* & non obliuiscaris gemituū matris tuæ, quomodo tu obediendissime & amabilissime fili, poteris obliuisci matris tuæ? quæ in tantum te amat, tot gemitus, suspiria & lacrymas pro te effudit? Dissipa idcirco, benignissime Domine, nubes, quæ obnubilat afflictam animam eius, & post hyemem tantarum lachrymarum & doloris, reducas ver nouum, lætum & floridum.

Latebat Virgo in obscuro illo cubiculo, ac si etiam sepulta esset cum Filio, quadam mortali tristitia; continuo ante oculos illius versabantur crudeles illi cruciatus, dira ista vulnera, & deformata figura mortui Filij, virginale illius petus concutiebatur continuis ieiunijs, vigilijs, lacrymis omnino consumebatur; atque interim d^{omi}n maternis & pijs gemitibus inuocaret Filium, vt tandem

venires

Eccles. 7.

veniret, & lætitiã desiderata sua presentia restitueret, & vt tanquam verus sol illuminaret & illustraret obnubilatum & obscuratum suum cor: ecce de repente in tenebroso illo loco cernit ori-
 ri nouam quandã & diuinã lucem, audiebat nouã illã salutem, & ante se vidit comparere viuũ gloriosũ, & desideratum illum animæ suæ.

Hic poteris contemplari magnitudinem gaudij, quod hoc momento temporis occupauit pectus Virginis, & quomodo subito, depulsa omni tristitia, serenata fuerit sancta illa anima, & lachrymæ doloris conuersæ in lacrymas lætitiæ. Nam si magnus ille Patriarcha Iacob tantum lætatus est, postquam intellexit, filium suum, quem vt mortuũ luxerat, viuere & imperare in tota terra Aegypti quantum putamus fuisse gaudium benedictæ Matris, quando vidit vnicũ suum quem paulò ante defunctum brachijs suis complexa fuerat, reuixisse, deuicisse mortem, triumphasse de inferno, & factum esse cœli & terræ Dominum? Quando vidit restitutum esse pristino candori & pulchritudini, gratiosissimum illum vultum, & diuinos illos oculos, quibus ad eò suauiter ab ipso aspiciebatur.

Gen. 45.

uissimam illam vocem, & dulcem salutationem, qua non iam amplius mulier, sed mater nominabatur: neque amplius monstrabat discipulum, sed ostendens seipsum, dicebat: Mater, ecce filius tuus. Quando deniq; se sentit amplexari sacris illis brachijs, & tanto amore ac pietate diuinis illis manibus abstergeri lacrymas vultus sui. Existimo, quod præ magnitudine lætitiæ cordis sui, aliquo tempore verbum profari nequie-rit, at tandem rediens ad seipsam, ad-
Psal. 39. rato Filio & Deo suo dixerit. Iam secundum multitudinem dolorum meorum, ô fili mi, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam; atque hæc proloquens non satiabatur aspiciendo & exosculando, maxima cum suauitate sacra illa vulnera, manuum, pedum, & lateris, quæ olim tantum dolorem, modo verò tantam adferebant consolationem.

COLLOQVIVM.

ROGA Christum Salvatorem nostrum, vt, quemadmodum ruptis vinculis mortis, ipse se resuscitauit ad nouam vitam, ita anima tua virtute resurrectionis ipsius, ruptis mortificans laqueis peccatorum, quibus ligatur, resuscitetur vnâ
 cum

cum ipso ad vitam gratiæ, vt in poste-
rum ambulans in nouitate vitæ, efflo-
rescat in omni virtute, solum quærat &
desideret res æternas & cælestes, nō au-
tem eas, quæ sunt super terram, atque
ita tandem dignetur in die vniuersalis
resurrectionis, reformare carnem tuam,
& configurare claritati corporis sui, vt
ita totus innouatus possis cum redem-
ptore tuo. viuere & regnare in perpe-
tuum.

DOCUMENTA.

1. **T**RES illa sancta mulieres licet plu-
rimum dilexerint Dominum, &
vngere illius sanctissimum corpus, fuerit
opus summa charitatis: nihilominus pro-
ter obedientiam legis, abstinnerunt à tali
opere, die sabbathi. Ita nos abstinere de-
bemus non solum ab operibus malis, sed
sape ab ijs qua nobis apparēt bona & san-
cta, si obedientia ob bonū aliquem finem
ita iubeat.

2. Si terra ad presentiam Angeli intre-
muit, qui venerat annunciare homini-
bus noua tanta consolationis: quantum
putamus tremet ad presentiam Christi,
quando totus terribilis venerit iudicare
& punire peccatores.

3. Sancta mulieres summo mane ibant

cum aromatibus ad sepulcrum; beati illi sunt qui consecrant principium vita sua Christo Domino: incipientes ei deseruire à iuuentute sua. Nam dubio procul tales ipsam inuenient, iuxta illud quod dicitur. Qui mane vigilant ad me, inuenient me.

4. Sanctæ mulieres, interim dum pergerent ad unguendum corpus Domini, inceperunt dubitare, num possent reuoluerre lapidem ab ostio monumenti, sed nihilo secius pergentes inuenerunt reuolutum ab Angelo. Lapis iste, grauitas & difficultas pœnitentia est, quam considerantes illi, qui nouiter reliquentes mundum, sequuntur Christum, timent ne non possint perseuerare. Sed non habemus diffidere, nec retrocedere: si enim perseuerauimus, ut hæ mulieres, Deus submittet gratiam spiritus sancti de celo, que reddet iter planum, & faciet suauem & facilem omnem difficultatem.

5. Mulieres euntes ad præstandum hoc sanctum opus, etsi nossent quantus esset lapis, qui occludebat sepulchrum, & quam exiguas ipsa haberent vires, nihilominus cōfidentes Deo, cōmiserunt se itinere, & appropinquantes cognouerunt lapidē esse reuolutum, & Christū resurrexisse. Ita nos in operibus diuini seruij, & auxili-

lioproximis impendendo, quamuis maxima occurrant aduersitates & impedimenta, non debemus absterreri, sed confidentes diuina gratia, pergere: Deus enim sua ope, dabit nostris conatibus felicem successum, si quidem ad laudem sui nominis fuerint suscepti.

6. Sepulchrum, in quo iacebat corpus Christi, designabat altare Domini, in quo mysterium corporis & sanguinis conficitur. Vnde qui dignè ad hoc accedere desiderant, debent, ut illa tres sancta femina, habere secum aromata odorifera virtutiu, & suaue unguentum orationis.

7. Angelus custos sepulcri, suo terribili aspectu exterruit ministros Iudaorum, & blandis verbis sanctas mulieres, quae querebant Saluatorem, est consolatus: Ita boni pralati & sacerdotes, qui sunt Angeli Dei, debent seueritate incutere terrorem obstinatis, & extinguere peccati venenum, honesta verò & suauis conuersatione, amanter animare poenitentes, & confirmare bonos in virtute.

8. Interim dum mortuus iaceret in sepulcro Christus Dominus, lapide monumentum erat occlusum, postquam verò resuscitatus est, accessit Angelus & reuoluens lapidem, sedebat supra eum. Oremus Deum, ut postquam exiimus è sepulchro
pecca-

peccati, ipsius sancta gratia sedeat & contineat sub se petram repugnantis nostrae carnis, qua dum nos mortui iaceremus in sepulchro; supprimebat & sub se continebat spiritum nostrum.

9. Christus postquam resuscitatus est, reliquit sepulchrum, nec diutius haesit ibi, ut Angelus dixit mulieribus: Si nos postquam resuscitati fuerimus ad vitam gratiae adhuc quaesierimus solatiū sensuum, neque vitauerimus occasiones peccati, nondum plene reliquimus foetorem sepulchri, nec verè cum Christo resurreximus.

10. Dominus non peruenit ad gloriam resurrectionis suae, nisi per asperitatem flagellorum, & amaritudinem fellis, & per ignominiam crucis: Ita non existimemus nos peruenturos ad gloriam caelestis patriae, nisi per huius vitae tribulationes, & molestias tentationum.

11. Christus resurgens ex mortuis unà cum sepulchro reliquit conditiones corporis terreni, & se vestijt dotibus corporis gloriosi, nempe claritate, impassibilitate, agilitate, & subtilitate. Ita nobis si verè cum Christo velimus resurgere, non sufficit reliquisse mundum, & quod simus exuti operibus hominis antiqui, sed debemus vestiri de nouo, nempe Christo Domino, & ipsius gloriosis dotibus, ac primò debe-

debemus habere claritatem, hoc est, pra-
 lucere proximis exemplo humilis & san-
 cta conuersationis. Secundò debemus esse
 impassibiles, per mortificationem sensuum
 & affectuum nostrorum. Tertio debemus
 esse agiles, id est prompti & solliciti in ope-
 ribus diuini seruitij. Vltimò necessaria no-
 bis est subtilitas, imitando puritatem an-
 gelicam, per munditiam cordis & cor-
 poris, & eleuando continuè
 mentem ad Deum
 in oratione.



MEDI.